



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

2. Quum divini &c. Confirmatio electionis Norigaudi Episcopi  
Augustodunensis, ejusque Ecclesiæ jurium.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



Theodoricus Romanus, & Silvester quartus seditiosi homines contra electum Pontificem recalcitrarunt, & suam quisque agebat causam Abijt Paschalis XV. Kal. Februarii anni MCXVIII. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. Append. fol. 30.*)

Gratulatur Paschalis exercitui in Palestina militanti ob obtentam victoriam, & ad proficendum cœpta adhortatur.

PASCHALIS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, sive filiis Episcopis, Clericis, Proceribus, militibus & omni populo militia Christiane in Asia triumphantis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

**Q**uod per prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris peccatoribus habitat, & per operationem ita inambulabo, ut patenter in vobis inimicos suos expugnasse videatur. Renovavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesie armis, sacerdotalium precum tubis, inimicorum urbium mania aperiret.

§. 1. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi aestimatis, quod sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam, & vivificæ crucis partem vestris oculis revelavit, vestris tractandam manibus obtulit; Quantas super his redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Christianæ fidei hostes, Christiani populi oppressores, per divinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim e diu possessis regionibus effugatos videmus Orientalem Ecclesiam, post longa captivitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore; dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigiliis insistendum; ut quod cepit adimpleat & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecravit, immaculatas usque ad finem, affluentes firma pietate, custodiat. Quapropter agite, filii in Christo desideratissimi rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute & ereptione pericula subieritis: patriam, domos, parentes posthabuistis, vosmet ipsos exilio addixistis, morti opposuistis: curate nunc ad meliora semper tendere: pacem cum omnibus conservare, ut possitis ad æternam pacem, Domini misericordia pervenire.

§. 2. Plurima vobis significare per chartam & atramentum superfedemus, quoniam ex Apostolica sedis gremio carissimum fratrem Mauritium Portuensem Episcopum destinamus: ut qui per beati Petri Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ prædecessorem nostrum Urbanum, tanti peregrinationem itineris assumpsistis, beati Petri solariis semper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuistis, ipsum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis. Vices etiam nostras eidem fratri Mauritio & Episcopo commisimus, ut cum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipsum nobis immò beato Petro, obsequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, ut

Ecclesie quam per vos Dominus liberavit, seu liberaturus est, ordinationi vigilanter imminet; si quæ minus canonicis regulis apta repererit, corrigat; & in eisdem cum vestro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet.

§. 3. Hortamur itaque, hortantesque: præcipimus, ut ei tanquam personam nostram præferenti, in omnibus obedire curetis.

§. 4. Omnipotens Dominus & velle & posse in vobis tribuat, ut quæ eo autore facienda cognoscitis, ipso adjuvante impleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis absoluat, & exilio vestro patriam æternam tribuat.

§. 5. Datum Romæ quarto Nonas Maij, Indictionis octavæ per manum Joannis Diaconi.

Confirmatio electionis Norigaudi Episcopi Augustodunensis, ejusque Ecclesie jurium.

PASCHALIS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Norigaudo Eduensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.*

**Q**uam divini dispensatione iudicis ad hujus officii gradum licet indigni, promoti sumus, ut Apostolorum principis vices in Ecclesie regimine teneamus: elaborandum nobis est, & annitendum omnino, ut in constituendis Ecclesiasticis negotiis, ejus monita, & institutiones devotione fidelissima, & fide devotissima æmulemur. cujus fides præcipua, & dilectio spectata domino extitit adeo, ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili pretioso sanguine redemptam suam Dei filius statuere, & confirmare voluerit Ecclesiam dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in cælo, & in terra vel liganda ligarentur, vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem ipse beato Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi justè præsidere, & Ecclesiam Dei canonice studuerint ordinatione disponere.

§. 1. Cujus non fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibusque tibi canonicè successoribus, confirmamus omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam in qua te Canonice credimus ordinatum pertinere videntur: tam in Ecclesiis, parochiis, cimiteriis, presbyteriis, cunctisque Ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis aliisque omnibus possessionibus, mobilibus, & immobilibus, quæ acquisita sunt, vel justè acquiri poterunt. Ut hæc omnia tibi, tuisque successoribus, ita liberè possidere liceat, sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quiete & justè possidisse probatur.

§. 2. Illud autem Apostolica auctoritate statuimus ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam transeunti, liceat, res quas à die ordinationis suæ in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquistata sunt permittat Ecclesia remanere.

§. 3. Illos etiam qui à nobis excommunicati vel ab officiis divinis pro suis fuerint excessibus remoti, ne aliquis in communionem recipere vel in Officium præsumat restituere, eadem auctoritate prohibemus.

Hortantes præcipit ut ei in omnibus obedire curent. Pax & benedictio Apostolica.

I I.  
Ex Labbe T. 10. Concil. pag. 660.  
Edita A. D. 1100.

Exordium.

Omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam pertinere videntur Norigaudo omnibusque canonicè successoribus confirmat.

Res quas à die ordinationis presbyter conquirere poterit in Ecclesia in qua est ordinatus auferri vel minui prohibendum statuit.

A Pontifice excommunicatos in communionem recipi vetat.

§. 4. Sta-

I.  
Ex Labbe T. I. Concil. pag. 622.  
Edita An. Do. 1100.

Exordium.

Gaudet exercitum Omnipotentis dignatione sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam & vivificæ Crucis partem ipsorum manibus tractandas obtulisse, eique ob obtentam victoriam gratulatur.

Hortatio Pastoralis.

Plurima significare superfedet quoniam Mauritium Portuensem Episcopum ad eum missurus est.



Pro sepul-  
tura loco  
nullum peni-  
tus ab aliquo  
pretium exi-  
gendum sta-  
tuit.

Si quis ad  
aliam Eccle-  
siam se con-  
ferre volue-  
rit de eo  
quod pro sa-  
lute dare dis-  
posuerit par-  
tem Ecclesie  
matriæ re-  
linquat.

Sanctio  
poenalis.

Pax & bene-  
dictio obser-  
vantibus.

Data Late-  
rani 18. Kal.  
Maij Anno  
Pontifica-  
tus. 1.

III.  
Ex Labbe  
Tom. 10.  
Concil. pag.  
644.  
Edita An.  
Dom. 1104.

Hortatur  
Didacum ut  
in Ecclesia  
tales Dia-  
conos ve-  
stitos ve-  
stitur  
qui dignè  
commissa fi-  
bi onera  
sustinere va-  
leant.

Filios ex  
presbyteris  
ante legis  
suscep-  
tionem natos  
neque à di-  
gnitate Ec-  
clesiastica  
neque à sæ-  
culari repel-  
lit.

eos qui im-  
presentia-  
rum simul  
sunt divis-  
sime habi-  
taculis sepa-  
rari iubet.

Data Late-  
rani Anno  
Pontifica-  
tus IV.

§. 4. Statuimus quoque ut pro sepultura quidem loco, vel spatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in Ecclesia, in qua fidei sacramenta acceperint, elemosynam dare secundum Apostolica decreta statuimus omnino, & confirmamus.

§. 5. Si quis autem ad aliam vivens sive moriens se conferre voluerit, de eo quod pro salute animæ suæ dare disposuerit, secundum Apostolica decreta matriæ Ecclesie partem relinquat.

§. 6. Si quæ sane Ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam præsumptuose venire tentaverit, huiusmodi ut sacrilegii reum à liminibus sanctæ Dei Ecclesie arcendum iudicamus & confirmamus.

§. 7. Cunctis autem eidem Ecclesie iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Joannis Scriptorii sacri Lateranensis Palatii.

Ego Paschalis Episcopus Catholice Ecclesie subscripsi. Et ego.

§. 8. Datum Laterani per manum Leonis scriptoris XVIII. Kal: Maii, indictione VIII. Anno dominicæ incarnationis MC. Pontificatus autem domini Paschalis secundi Papæ primo.

De reformandis moribus Compostellanae Ecclesie deformibus, qui per bella in eam irrepserant.

PASCHALIS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabili Didaco Compostellano Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ecclesia quam regendam, disponente domino, suscepisti, jamdiu, etiam cum pastorem habere videretur pastoris solatiis caret. Idcirco strenuitati tuæ vigilantius insistendum est, ut in ea ritè omnia juxta normam sedis Apostolicæ disponantur. Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros seu Diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regimini onera sustinere. Porro quæ Presbyterorum interfunt, presbyteris; quæ Diaconorum diaconibus committantur; ut in aliena dispendia nullus obrepat.

§. 1. Si qui sanè ante Romanæ Legis susceptionem secundum communem patriæ consuetudinem conjugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à Sæculari neque à dignitate Ecclesiastica repellimus. Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram monachos cum sanctimonialibus habitare audimus, ad quod refecandum experientia tua immineat: ut & qui impresentiarum simul sunt divisim longè habitaculis separentur, prout arbitrio & religionum virorum consilio melius visum fuerit; neque impostero consuetudo hujusmodi præsumatur.

§. 2. Datum Laterani incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo tertio, nostri Pontificatus quarto.

Mandat Archiepiscopis & Episcopis Provincia-  
rum Remensis, Senonensis ac Turonensis, ut  
Philippum Regem ejusque pellicem à vinculo  
excommunicationis absolvant; mox sequitur  
ejusdem Regis juramentum.

PASCHALIS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, per Remensem, Senonensem ac Turonensem Provincias, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Significatum nobis est quorundam vestrum Litteris, qui filius noster Francorum Rex feminam illam pro quâ totiens commonitus, immo excommunicatus fuit, juxta præceptum nostrum abjurare decreverit: ipsa etiam mulier regem abjurare parata sit: super quarum conversione personarum non minimum exultavimus quia super uno peccatore penitentiam agente, gaudium esse Angelis Dei ipso Domino testante didicimus.

§. 1. Quam nimirum causam fratri nostro Richardo Albanensi Episcopo reminiscimini à nobis fuisse commissam. Si ergo idem frater, Francia jam fines egressus est, non eandem causam, aspirante Domino una vobiscum peragendam venerabili Fratri Lamberto Atrebatensi Episcopo committimus. Convenientibus itaque nobis in unum, si communis filius Francorum Rex, & illa ejus Lateralis tactis Sacrosanctis Evangelii omnem carnalis copulæ consuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium, & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, numquam videlicet ad idem flagitium redituri, sicut quorundam vestrum litteris significatum est: satisfactionem eorum vice nostra vobiscum Atrebatensis Episcopus suscipiat, & à vinculo excommunicationis absolvat quatinus Largente Domino, & filium Ecclesia, & Regem sibi Francia reconciliatum Episcopali Ministerio gratuletur.

Data Laterani per manum Joannis, III. Nonas Octobris

JURAMENTUM PHILIPPI REGIS FRANCORUM.  
Audias, tu Lamberte Atrebatensis Episcopo, qui hic Apostolica vice fungeris: audiant Archiepiscopi, & præsentis Episcopi, quod ego Philippus Rex Francorum, peccatum, & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ quam hæcenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo sed peccatum istud & flagitium penitus, & sine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque femina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, non habeo. Hæc omnia sicut Litteræ Papæ dicunt, & vos intelligitis, sine omni malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacrosancta Jesu Christi Evangelia.

Similiter & BERTRADA cum excommunicationis vinculo solveretur, tactis sacrosanctis Evangelii in persona sua hoc idem juravit sacramentum. Actum Parisiis in præsentia domini Daimberti Senonensis, & Radulphi Turonensis, Archiepiscoporum; domini quoque Tuonis Carnotensis Episcopi. Humbaldi Autissiodorensis Episcopi, Joannis Aurelianensis Episcopi, Gualonis Parisiensis Episcopi, Manasse Meldensis Episcopi, Baldrici Noviomensis Episcopi,

IV.  
Ex Labbe  
T. 10 Conc.  
P. 658.  
Edita An.  
D. 1104.

Francorum  
Regem ejus-  
que pellicem  
mutuum  
contubernium  
colloquiumque  
abjuratos  
exultat.

Lamberto  
Atrebatensi  
Episcopo su-  
pradictis  
que Archie-  
piscopi eos  
excommuni-  
cationis vin-  
culo absol-  
vendi cau-  
sam com-  
mittit.

Data Late-  
rani tertio  
Nonas Oc-  
tobris.